



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Caput II. Quædam observanda circa Auctores, quorum testimonia
deinceps recitabuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

lem. Fatentur enim omnes melius esse, per se loquendo, sequi tutiorem partem: vel si ambae sint aequè tutae, probabilior. Quod spectat illud S. Antonini loco citato, eligere viam tutiorem consilii est.

Notandum quintò, duplicis generis opiniones esse. Aliæ enim versantur circa ius solum ac præceptum, quaerendo præcisè utrum aliquid sit prohibitum, aut præceptum, nec ne; sive an sit obligatio aliquid faciendi, aut non faciendi. Aliæ spectant conditiones rerum, vel facta quædam: cuiusmodi sunt in Theologia, inquit Suarez loco citato, num. 8. An Sacramenta hoc modo facta teneant, nec ne: in Medicina an hoc pharmacum sit utile, vel perniciosum: in Iure civili, an iste sit heres, vel non, &c. Non hic autem de secundo opinionum genere disputatur. Nam, ut ait Suarez num. 10. quando opiniones versantur circa res ipsas, an sint talis naturæ vel conditionis, sapie tenetur homo præferre opinionem certam probabili, & probabilioris minus probabili, quando scilicet ex iustitia vel charitate tenetur vitare damnum, vel incommodum, quod in re ipsa subest, vel periculum ejus. Quam suavis opinionem, & in temperanda plurimorum Theologorum de probabilitate sententia moderationem, approbant doctissimi quique Societatis nostræ Theologi; atque inde cum alia multa, tum præcipue ista duo colligunt. Primum est, eam de Sacramentis quaeritur, utrum hoc vel illo modo administrata, aut suscepta, valida sint, vel gratiam conferant, nec ne: per se loquendo tutiorem opinionem semper in praxi sequendam esse. Secundum est, iudicem tenei sententiam ferre iuxta opinionem probabilioris. Ita docent Vasquez, Valentia, Sanches, Becanus, alique magno numero Societatis nostræ Scriptores, quorum nomina postremo capite appellabo.

His animadvertis, intelligi facile potest, quid sibi velint ex sententiæ, de quibus hic est atque contentio. Agunt enim de opinionibus propriè dictis, quæ & verè probabiles sint, & circa ius solum, ac præceptum versentur, hoc unum præcisè quaerendo, utrum aliquid sit prohibitum, aut præceptum, nec ne, sive an sit obligatio aliquid faciendi, aut non faciendi. Ac prima quidem sententia docet, ex duabus ejusmodi opinionibus contrariis, licitum esse in praxi minus tutam sequi. Secunda idem statuit de minus probabili. Quia in assertione postrema supponitur opinionem illam minus probabilem, non esse magis tutam. Alias enim ne in dubium quidem vocaretur, an licitum sit eam amplecti: siquidem hoc ipso quò diceretur esse tutior, magis ab omni peccati specie nos removeret; adeoque non modò licitum esset, sed etiam laudabile ad illam, sic tanquam ad normam, actiones suas exigere. Quamobrem ex recentiorum omnium confessione posterior hæc sententia, priorem includit: nec ullus ex his docet, licitum esse ex duabus opinionibus verè probabilibus amplecti minus probabilem, qui non supponat eandem esse minus tutam.

De his sententiis sic explicatis quaeritur, siatne Theologorum Societatis Jesu propriæ. Quod sine insigni fallitate, & calumnia dici non posse manifestè demonstrabo, cum plurimorum utriusque opinionis defensorum testimonia protulerò: sed antequam ea describam, pauca quædam eruditum Lectorem admonitum velim.

CAPUT II.

Quædam observanda circa Auctores, quorum testimonia deinceps recitabuntur.

OBSEVANDUM primum, veteres quidem Theologos complures allegaturum meritis tamen appellandis maxime laboraturum, quæ ab hinc annis centum floruerunt. Nam cum hunc numerum disputem, siatne Theologorum Societatis propriæ istæ sententiæ; eorum præcipue testimonia profertenda mihi sunt, qui ex quo Scripturam nostram celebrari nomen cepit, libri editi illis defunderunt. Neque verò deerit, qui antiquiores utriusque opinionis patronos accuratius colligat, deincepsque magnam veterum Theologorum partem, qui contrarium docere videri possint, nihil omnino sententis adversari.

Quamquam & istud ex his, quæ jam annotavi, intelligi facili potest. Nam primum, plerique loquuntur non de opinione, sed de dubio, ut de B. Thoma, & de S. Antonino observat loco paulò mox citato. Secundo, agunt alii de opinione, quæ sit contra scriptum testimonium Scripturæ & determinationem habet, ac prout de quæ non sit probabilis, ut idem B. Thomæ admonet. Tertio, sunt qui de conciliando præcepto loquuntur, ut notat Sylvester verbum cap. describendis. Quarto, agunt alii de dubio tantum, & de factis ad aliena jura pertinentibus ut Dominicus Soto, qui eo ipso loco, quem Wendrock citat, in iuribus lib. 3. de iustitia & iure, q. 6. a. 1. de mentem suam exprimit: In praxi, quæ alia iura spectant, nefas est iudici infirmioris opinionem sequi. Eodem in ius est Panormitani & Navarri: nam in extero quidem, & contentioso foro docent sequendam esse opinionem illam, quæ meliori & subtiliori ratione nititur, sed in foro conscientie, & ad effectum non peragenda, alter fieri posse discretissime asserunt, ut ex præcedentibus eorum testimoniis constabit. Quinto, loquuntur nonnulli de Sacramentis, & de mediis ad salutem necessariis. Atque hanc esse S. Augustini mentem lib. de Bapt. cap. 3. (quem unum ex Patribus locum contra posteriorem sententiam Wendrockius opponit) ex ipsis ejus verbis manifestè demonstrant. Gratianus in 1. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 4. num. 46. Bressensis lib. de conscientia, cap. 9. & Matthias Hauzeur tom. 2. Epitomes S. Augustini ad eum locum: Loquitur enim S. Doctor de homine, quemadmodum per Wendrockius admonet, qui jam fatetur se eum non Baptismum in Ecclesia Catholica rectè suscipi, sed saltem an rectè apud Donatistas suscipiatur, de illo autem sic pronuntiat: Si dubium haberet non illi rectè accipi, quia Ecclesia Catholica rectè accipi certum haberet, gratiam precaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo quod certis incerta proponeret. Quibus ex verbis etiam colligit Vasquez in 1. 2. disp. 63. cap. 2. n. 8. & post illam Salas ibidem tract. 8. disp. unica, sect. 10. n. 4. quod non loqui quando sunt diversæ opiniones, sed quando de una parte dubium est qui operatur, de altera autem certum.

Observandum secundò, Theologos omnes, quibus annis ferè centum de his rebus scripserunt, tam consensu utriusque sententiæ patrocinium susceperunt, ut auctores à me deinceps allegandi, quorum priorique accuratissime eorum omnium nomina perrepererunt, qui controversiam istam agitarunt, unum dumtaxat ex recentioribus Theologis non Jesuitis Antonium Perez Benedictinum appellent, qui ab aliis utriusque dissentiat; & admittit prioris opinionem, post-

riorem impugnet. Cui se non ita pridem nuperus quidam planeque ignotus Scriptor, sub eminentio Candidi Philalethi nomine, dicitur adiunxisse. Ex tanta porro utriusque opinionis defensorum multitudine, eos duntaxat appellabo, quorum & operam actus sum, & adeo perspicuam super hac re sententiam esse cognovi, ut de illa dubitare nemo possit.

Neque verò tales illi sunt, ut eos fastidire Montani possit, & causari, præter Suarezem, Vasquezem, Valentiam, & alios Jesuitas aliquot mediocriter eruditos, his opinionibus signobiles tantum, & nullius nominis Casuistas adhaerisse. Produca enim doctissimi mos Episcopos, clarissima Sorbonæ lumina, præstantissimi S. Thomæ interpretes, ac discipulos, præcipua Religiosorum Ordinum decora, celeberrimos sacre Theologiz in nobilissimis Academiis Professores: verbo dicā, Theologos appellabo, ex quibus plerique tantæ pietatis ac doctrinæ laude floruerunt (quemadmodum ex ipsorum eloquiis obiter delibandis constabit) ut illustiores nullos Gallia, Hispania, Italia, Belgium, Europa tota hisce annis centū viderit. Tam eximii Theologis aliquos adiungā, qui etiam nobis minùs noti sint, apud suos tamen plurimū auctoritatis habet ac famę.

Observandum tertio, posteriorem sententiam (quā & priorem contineri, supra monuimus) ab omnibus ferè Theologis recentioribus, quos producam, non strictim tantum, & obiter libatam fuisse; sed ex professo, diligenter & uberimè pertractatam. Nam plerique & in ipsa disputationis fronte controversiæ statum inscribunt, & contrarie opinionis fundamenta omnia proponunt, eaque postquā pluribus argumentis, mentem suam comprobant, accuratè confutant. Sic planè, ut nihil omnino quod alicujus momenti sit ac ponderis, contra hanc sententiam à Wendrockio, aut alio quolibet proferri possit, quod non sit pridè à numero clarissimorum Theologorum agmine luculenter, ac copiosè refutat.

Præter Auctores illos, qui pluribus & data opera quaestione istam examinant, aliquos producam, qui ex occasione tantum, diserte tamen & conceptis verbis eandem opinionem docent. Quosdam etiam adiungam, qui de finitima tantum quaestione pronuntiant; sed quam vel ipse Montanius nihil admodum à nostra discrepare fatebitur: videlicet ut utriusque confessarius debeat absolvere penitentem, qui non probabiliorè, sed probabile duntaxat opinionè sequitur.

CAPUT III.

Sententias illas tuentur Episcopi ex veteribus plurimi, ex recentioribus omnes planè, qui abhinc annos centum controversiam istam in Theologicis lucubrationibus suis attigisse dicuntur.

Lex sanctorum Patrum testimoniis pro utraque sententia argumentari liberet, plurima proferrem præclara & insigni-

nia; atque illud in primis S. Leonis Papæ, quod ad decidendam probabilitatis quaestionem, optimum esse meritò affirmat S. Antoninus in Summa 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. sub finem. Sic enim loquitur sanctissimus Papa, epistola 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, ante caput 1. In iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum invenitur adversum. Quibus ex verbis Petrus Corneio clarissimus Theologus, & verè dignus Ecclesiæ Dei Doctor, à Paulo V. nuncupatus, ita argumentatur in 1. 2. tract. 8. disp. 3. dub. 6. Qualibet opinio simpliciter probabilis, etiam minus tuta, ac minus probabilis sit, nec præceptis Evangelicis contraria, nec decretis sanctorum Patrum invenitur adversa; ergo licitum est eam sequi. Possem ex pluribus sanctorum Patrum testimoniis simillima argumenta contexere: sed cum professos tantum & apertos sententiarum illarum defensores producere statuerim, veniendum est ad Theologos, ante quorum ætatem non est ista controversia clarè ac perspicuè disceptata.

Plurimum favet utrique opinioni, quod ex Alberto Magno Ratiponensi Episcopo S. Antoninus ibidem recitat his verbis: Ex responsis, quæ videntur data ab Alberto Magno, habetur quod Frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Doctoris magni opinionem sequatur.

Non ab similibus est ea Petri Paludani Patriarchæ Hierosolymitani sententia, quæ à S. Antonino probatur eodem loci, & apud ipsum Paludanum in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. habetur in hæc verba: Si Confessor dubitaret, utrum illud, de quo alius (qui confitetur) non punitur, esset mortale: & ille sibi diceret, quod de consilio peritorum illud faceret, de quibus ex vita & scientia probabile est, quod non consulerent, nisi bonè, potest si illorum iudicio conformare.

Accedit ipse Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui priorem sententiam manifestè docet eodem loco: Eligere tutiorem, inquit, consilium est, non præceptum: alias aporreret multos ingredi religionem, in qua tutius vivitur, quam in sæculo; non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta. Quæ Sancti Doctoris verba futili & ludicrà cavillatione eludere Wendrockio nititur, pag. 107. cum ait: Quod Sanctus Antoninus inter vias tutas non necessariò sequendam tutiorem asserit, nihil ad rem pertinet: verum est enim id in tutis, non in probabilibus, id est dubiis: cum enim dubitatur an liceat, vel non liceat, nullo modo tuta est sententia quæ id affirmat licere, cum id ipsum sit de quo dubitatur. Tuta, & licita via idem prorsus est, nec tutum esse potest de quo dubitatur, an sit licitum. Valet ergo Antonini ratio in rebus tutis & certissime licitis, quale conjugium ac religiosa vita; de quibus licet hæc sit tutior, tam certum tamen est conjugium esse licitum, quam religiosam vitam. At hoc ad ea transferre, de quibus dubitatur, an licita, id est tuta sine, manifesta est sensus communis, & Antonini sensus depravatio.

A 3

Ego